

et aliis machinis et insidiis viriliter expugnavit et taliter ipsam obsedit, quod aliquis vix non poterat intrare nec exire civitatem. Intrinsici vero magna fortia ipsam defendebant civitatem, et quandoque *ab una parte urbis exeuntes cum inimicis sepe et sepius preliantes, ipsos usque in castris fugabant et partem eorum interficiebant et pariter mortuos et vulneratos in campo relinquebant. Dum enim ¹ Elotarius rex per tres menses ipsam expugnaret urbem, quodam die Martis decimo quinto mensis Iunii ipsam civitatem cum omni gente sua et fortia viriliter et fortiter expugnare proposuit. Cumque Elotarius rex armis bellicis ornatus cum omni suo exercitu ad civitatem accederet et gentem suam precederet, equitando per quandam viam cupiens ire ad civitatis portam, quidam rusticus, qui de civitate exierat, stans super quoddam fossatum dictum Elotarium regem cum secure in capite percussit et ipsum interfecit. Quo viso a militibus, qui secum ibi aderant, descendentes de equis, super equum eum mittentes et tenentes in castra duxerunt, volentes ipsum privatum habere et tenere; et cum civitatem expugnarent, ipsam minime capere potuerunt. Videntes quod inceperant et facere cupiebant ad finem perducere non posse, ad castra redierunt. Et dum sic starent, fama de morte Elotarii regis per castra volavit; unde timor et tremor eos repente invasit cogitantes, ad propria qualiter possent redire. Moram facientes viri sapientes expeditionis, percipientes suos clam et privatim die nocteque de castris recedere, valde timuerunt cogitantes, qualiter ab obsidione possent discedere. Timebant enim maxime in recessione

*f. 49^a. eorum inimicos; unde, quid facere deberent, penitus ignorabant. Tandem inimici super turres cognoverunt partem inimicorum de castris fugisse, habito sapientum consilio, quadam die summo diluculo armati et asclerati extra civitatem exierunt, bellum cum eis comisci et temptare volentes, insultum super eos violenter facientes; inimici quoque hoc videntes perteriti vix arma ceperunt; prelium inter eos gravissimum incipitur, ab utrisque acriter et bellicose pugnatur. Verum quia gens extrinseca dominum nec rectorem habebant, et etiam unus alium intelligere minime poterat, deficientes in prelio et [videntes²] inimicis resistere non posse, relictis castris et omnibus que in castris aderant fugam petierunt. Quos Mediolanenses insecuti magnam partem eorum gladio interfecerunt, semivivos et vulneratos innumerabiles in campis relinquerunt. Alios quidem per nemora et campos et paludes amplius decem milibus fugaverunt. In eo prelio ex Ungariis interempti sunt undecim milia et capti quinque milia trecenti quadraginta duo,

1) 'hec' Hs. 2) Fehlt Hs. Aus zahlreichen Stellen erhellt aber, dass so oder 'percipientes' zu ergänzen ist. Vgl. oben S. 274. 298 f.